

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae**

**Mechthild <von Hackeborn>  
Mechthild <von Magdeburg>**

**Pictavii, 1877**

II. De colloquio animae et charitatis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

rido castitatis lectulo. Ibi provehitur ad summum bonum , et experitur amantissimum vœ, cum conjuncta fuerit ei vere. *Ibi ei erit bonum super bonum, et pax super pacem exsuperans sensum omnem.* Eia nunc, dilecta, non resistas, sed permittas te amari, nec prohibeas id amare.

Anima dixit : Qui cum amaritudine hoc prohibent?

Amor respondit : Hi sunt qui se et alios suis iniquitatibus onerant et impugnant. Nunc quoque narrabo tibi quis sit de quo tibi persuadeo. Ipse est celsitudo altissima, quæ se inclinavit in hujus vallis profundissima, et hæc vallis infima elevavit se, et transcendit omnia cœlorum vestigia. O anima insipiens et stolidi! circumspice hic infima, et leva oculos tuos *ad illa tam sublimia; unge oculos tuos collyrio, ut videas eum cum quo semper maneas.*

Anima dixit : Ex quo propter me Summus descendit ad infima, tribuitque se mihi cum omni creatura alia, perpetua mihi foret verecundia, quod mea turpia et vilia non dedi pretia, ut acciperem aurea et pretiosa præmia. Væ mihi ! ubi fui infelix, et cæca, quod tamdiu vixi carens charitate divina, per quam procul dubio omnes vicissem miseras et contrarias inimicorum insidias? Nunc ego paupercula, quamvis innumera neglexerim præmiorum merita, opto adhuc relictis omnibus mundanis, exire extra omnia, ut vadam ad amoris sublimia. Eia, amor, dignare me adhuc suscipere ut valeam in te quiescere.

Respondit amor : Ego te suscipio; Deus enim omnibus communicat se et nulli se denegat. Intellige quæ dico : Hoc est justum commercium et æqua ponderatio : qui vult habere quod cupit, relinquat quod diligit; et qui quærit quod amat, abneget quod affectat.

## II. DE COLLOQUIO ANIMÆ ET CHARITATIS.

**O**CCURRENS anima charitati, salutavit eam reverenter, dicens : Ave, mi sancta charitas.

l, 1.

Respondit : Salvete Deus, regalis anima.

Anima dixit : O charitas, tu es valde perfecta.

Respondit : Propterea sum super omnia præelecta.

Anima dixit : Hoc opus tuum exitit ab æterno, ut celsitudinem sanctæ Trinitatis compelleres, ut se totam transfunderet in humilem Mariæ virginitatem.

Respondit charitas : O anima, hæc est tua gloria et gloriatio sempiterna.

Et dixit anima : O charitas, tu venisti nunc ad me, et omnibus quæ in hoc mundo habui et possedi expoliasti me.

Et dixit charitas : O anima, fidele est hoc commercium, et utilis commutatio.

Et anima : Charitas, tu meam pueritiam adnihilasti.

Respondit charitas : O anima, pro hac libertate tibi cælestem concessi.

Et dixit anima : Charitas, tu mihi florem juventutis abstulisti.

Respondit : Pro hac multas sanctas virtutes retribuisti tibi.

Et dixit anima : Tu mihi parentes et amicos *et bona temporalia* rapuisti.

Respondit charitas : Eia, regalis anima, hæc est vilis querimonia.

Et ait anima : Tu tulisti a me sæculum et honores ejus, et divitias ejus omnes.

Respondit charitas : Hæc ego tibi omnia in una hora per spiritum meum, pro voluntate tua, restituam in hoc mundo.

Et dixit anima : Tu me sic fortiter constrinxisti, quod corpus meum doloribus fere in nihilum redegisti.

Respondit charitas : Pro hoc multa te cognitione ditavi.

Et anima : Tu carnem meam et sanguinem meum expendisti.

Respondit charitas : Ex hoc purificata es, et in Deum elevata.

Et ait anima : Charitas, tu es raptrix violentissima; adhuc in multis es mihi debitis obligata.

Respondit charitas : O anima, pro his accipe memetipsam.

Et dixit anima : Nunc satisfactum est mihi centuplum in hac vita.

Et dixit charitas : O anima, adhuc præter Deum, quem præhabes, possidebis regnum Dei.